

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1075

**Auteur(s) :** Richard de Saint-Amand, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1205...

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard de Saint-Amand, doyen de Bayeux, et le chapitre confirment la donation d'une terre et de maisons sises à Bayeux, faite par le chancelier Roger Bovet (ou le Boeuf), chanoine de Cartigny, en perpétuelle aumône, à l'église de Bayeux.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXXXIV, t. 1, p. 332-333.

## Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsentis litteræ pervenerint, Ricardus, decanus, et capitulum Baiocense, æternam in Domino salutem. Cum disponente Domino filii teneamur Baiocensis ecclesiæ, ea, quæ profectui ipsius congruunt, dignum ducimus confirmare. Hinc est quod universitati vestræ significamus Rogerum Bovet, cancellarium et concanicum nostrum, salubri ductum consilio, terram quamdam, Baiocis per industriam suam acquisitam, et domos suas, in ea laboribus et sumptibus constructas, ecclesiæ et capitulo nostro contulisse, in perpetuam elemosinam nomine pensionario possidenda: ita sane quod idem Rogerus, quoad vixerit, usufructum (sic) ipsarum domorum plenarie habebit, reddendo nobis exinde annuatim triginta solidos Cenomanenses, videlicet, unam medietatem in festo sancti Michaelis, et alteram ad Pascha subsequens. Cum vero memoratus Rogerus obierit, successores ipsius, præbendam de Quarteigneio habentes, memoratas domos de nobis tenebunt, sub annua præstatione quadraginta solidorum Cenomanensium, die anniversarii ipsius Rogeri in perpetuum solvendorum: ita quidem quod eadem pecunia clericis, qui divinis obsequiis intererunt, quæ pro ipso Rogero in ecclesia Baiocensi fiet, more ecclesiæ pro anima ipsius impertiatur. Verum, quoniam præbenda de Quarteigneio, per sollicitudinem Henrici, dilecti patris nostri, Baiocensis episcopi, bonæ memoriæ viri, maximum sortita est incrementum, sæpefatus Rogerus concessit et voluit, et nos in capitulo nostro ratum habuimus, ut annuatim duo sextarii frumenti, et duo sextarii ordeï, ad mensuram de Quarteigneio, Baiocis deferantur, et ibidem, die anniversarii Henrici episcopi, in usus pauperum, pro ipsius anima, in perpetuum expendantur. Item, quoniam idem Rogerus super possessionibus et proventibus præbendæ suæ ampliandis operam dinoscitur impendisse sollicitam, præfatus Henricus episcopus dignum duxit et confirmavit aliquod laboris sui solatium eidem Rogero tribuendum. Decrevit siquidem, quod et nos confirmando concessimus, ut de incrementis præbendæ de Quarteigneio unum (sic) sextarius frumenti, et unum

(sic) sextarius ordeï, illius mensuræ, Baiocis annuatim deferantur et pro ipsius Rogeri anima, die anniversarii ejus, pauperibus Christi in perpetuum conferantur. Ut autem hæc rata permaneant in posterum, ea præsentî scripto, et sigilli nostri munimine, confirmare curavimus. Valet.